

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Rectore ... Dn. Friderico Avgvsto, Elector. Saxon. Herede,  
ac Reliqua, Dissertationem Moralem, De Eo Qvod Homini  
Convenit Circa Brvta**

**Calo, Johann Adam Calo, Johann Adam**

**Vitembergae, MDCCVI.**

**VD18 13000616**

Aphorismvs III. Vsui esse possunt homini bruta tum ad uitae sustentationem, tum iucunditatem, tum quoque commoditatem.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-13719**

## APHORISMVS III.

Vtui esse possunt homini bruta tum ad uitae sustentationem,  
tum iucunditatem, tum quoque commoditatem.

EX ΘΕΟΙΣ.

**S**Vnt quaedam animalia, quae uiua hominibus magis sunt  
utilia, alia post mortem alia et uiua et mortua uitae subsidia  
hominibus praebent. Ad illa pertinent equi, camelus, canes etc.  
ad ista porci, ceruus, lepores etc. ad haec boues, uaccae, oues,  
anser, galinae, et id genus alia. Sic sapienter omnia ordi-  
navit indulgentissimum Numen, ut, etsi non una ratione, om-  
nes tamen bestiae hominis uitae inferuiant. Imo quae no-  
xiae etiam nobis videntur, utilitate nos minime destituunt.  
Nefas itaque non est mactare animalia eorumque carne ad  
tolerandam uitam uesci. Quod ipsum probari satis posse du-  
cimus ex concessione dominii in bruta mortalibus facta. *Pu-  
fendorffius lib. IV. c. 3. §. 3.* inter plures rationes, quibus carni-  
um esus et mactatio brutorum stabiliri possit illam praecipuam  
esse censet, quod nullum hominibus brutisque ius nullaque  
obligatio inuicem intercedat, nec per naturam intercedere  
debeat. Quod quidem simpliciter non procedit, sed iure illo  
hominibus concessio est firmandum. Quare *Cicero lib. III. de Fini-  
bus non tantum* dicit: *nihil esse hominibus iuris cum brutis*, sed addit,  
statim rationem, *quippe quae hominum causa ut iis utantur, natu-  
ra produxerit*, vid. *Disput. Litbii de iure hominis in bruta §. 48.*

### I I.

Non moramur hic eorum superstitiosam a carnibus ab-  
stinentiam, qui aut plane religioni sibi ducunt occidere bruta,  
aut quod honestati repugnare putent, et sic a carni-  
um esu abstinent, aut saltem statis temporibus iisdem uesci et frui nolint.  
Ad illos pertinent Pythagoraei, ut ex *Schefferi Schola Italica, Por-  
phyrii libro πρὸς τὴν ἀποχρῆσιν* aliisque constat. Quibus accensendi  
sunt Ebionitae, Encratitae, Manichaei, Priscillianistae, Albi-  
genses veteris Ecclesiae Haeretici, de quibus legi potest,

502  
M. Pauli Stockmanni *Elucidarius Haeresium*, et speciatim Beniamini in Cambaia, qui, quod credant cum Pythagoricis, hominum animas post mortem in brutorum corpora transire, bestiis noxam inferre nolunt, quin potius Xenodochia exstruunt, in quibus aegrotantes et mutilatas bestias fouent et alunt. *Pufendorff. l. c. p. 4.* De Aegyptiis annotauit *Marschamus in Canone Chronico p. 538.* quod apud illos porcos violare nefas fuerit. Quas uero ii afferunt rationes, ut euincant Iuri Naturali non conforme esse frui carnibus, erudite diluit *Lithius in Disp. modo allegata §. 49.* idemque controuersiam illam, quae multos torfit, de esu sanguinis neruose explicauit. §. 50. Non hic abhorreret a scopo exponere quoque illam quaestionem agitatam inter *Curcellaeum* et *Heideggerum*, an ante diluuium esus carni in usu fuerit, licueritq; homini iis frui? At ueremur, ut spatio pagellarum exclusi, persequi omnia possimus. Nihil uero nos prohibet, quo minus calculum Heideggero adiiciamus, qui indifferentem ad talia primum hominem credit, quoniam esset constitutus dominus et omnium possessio rerum commissa ipsi esset. Neque aliis firmioribus rationibus eruditorumque suffragio eius sententia destituitur, uideri potest *Exercit. 15. de Historia Patriarcharum Tom. I. p. 391.* ubi is aduersariorum argumenta erudite confutat.

### III.

Quid de Pontificiorum speciatim Carthusianorum frugalitate sentiendum sit, dum uel perpetuo abstinentiae a carnibus uoto se obligant, uel dum certis temporibus ieiuniorum palato subtrahunt, alii quamplurimi iam expediuerunt. Et nescio sane, quale sit ieiunium, aut qualis laus ex frugalitate illa expectanda, carnibus non uesci, et tamen innumeris piscium generibus rerumque omnium lautissimarum apparatu abdomen infarcire. Quare false admodum hanc religiositatem *Erasmus Roterodamus in Colloquiis familiaribus non semel perstrinxit.*

## IV.

Diximus in Aphorismo usui quoque hominibus esse bruta ad uitae iucunditatem, quo autem ipso indicamus uenationes et alia honestae uoluptatis certamina, in quibus bruta inter se committuntur. Haec ipsa exercitia, si moderate et cum ratione iis indulgeatur, improbanda minime uidentur. Rationes uide apud *Matthiam in Theatro Historico de prima Monarchia quæst. 4.* et apud *Franzium in Praefatione ad Historiam suam animalium. Pufendorff. lib. IV. c. 6. §. 6.*

## V.

De uitae commoditate, quam bruta praestant hominibus, tanto parcius quaedam sunt afferenda, quanto luculentius ea omnibus constare potest. Tum praecipue equorum usus proficiscentibus maxime prodest, qui uel equo uel curru equis iuncto inter paucas horas longa itineris interualla emetiri possunt. Varios modos iungendi equos uide apud *Schefferum in Libro de Re uehiculari*, eruditissimo scripto. Oneribus portandis elephantes, cameli aliaque animalia praecipue in orientalibus Regionibus inferuiunt. De quibus *Itineraria Olearii, Tauernierii* aliorumque consuli possunt.

## APHORISMVS IV.

Et si quidem in bruta non cadat iniuria, committendum tamen non est, ut immani crudelitate in ea saeuatur, aut merae uoluptatis explendae causa occidantur.

EX SECTIS.

## I.

**I**niuriam cadere tantum in illud Subiectum, quod et intellectu et uoluntate libertateque moraliter agendi gaudet, inconfesso est. Cum igitur in brutis insignes hae facultates  
non